VOTA GAMICA
Solemnitatibus Nuptialibus
Eximii, Præstantissimi, & Doctissimi
VIRI
DN. JOACHIMI KUETZII,
Cantoris Scholæ Senatoriæ
Stetinensis fidelissimi
SPONSI
&
Pudicissimæ Lectissimæq;
Virginis
ANNÆ,
VIRI Clarissimi & Celeberrimi
DN. HEINRICI KIELMANNI, b. m.
ConRectoris & Græcæ Linguæ & Poëseos in
illustri Stetinensi Pædagogio Professoris quondam
optimè meriti relictæ Filiæ natu
maximæ
SPONSÆ
Sedini d. 18. Cal. Julii. Anno MDCLII.
celebratis
nuncupata,
à Fautoribus & amicis.

STETINI,
Typis GEORGII GOETSCHII, Pædag. Reg. Typ.

55

SPONSE, tibi charam Parcæ rapuere maritam:
Supplet nunc vacuum Sponsa novella locum.
Alternis vicibus sic res mutantur in orbe.
Qui prius indoluit, rursus ovare potest.
Divino nutu contingunt talia. Numen
Æternum thalamo det bona mille novo.

JACOBUS FABRICIUS, D.
Superintendens.

COnsilio certè statuit sapiente Creator,
Ingentis mundi cum fabricaret opus,
Sancta qvòd obscænis objecit vincula flammis
Ac sanxit socii dulcia jura thori.
Hæc volvens tecum ducis sine labe puellam,
Laudatamq; oculis, Sponse colende, tuis,
Qvæ te legitimo pro jure decenter honoret,
Et te non dubiæ fœdere mentis amet.
Hac fruere, hac longos lætare maritus in annos,
Obvia sint vobis prospera, triste nihil!

CHRISTIANUS Groß/ *D.*

Primæ

PRima tibi rectè cecidere, Jochime. Secundus
Jam Veneris factus, non minus esto probus.

Sic verbo omnia vota, quæ novis Sponsis debebat, complexus est

JOH. MICRÆLIUS, D.

Ad Dominum Sponsum, Affinem & Amicum dilectissimum.

Nôsti, qvod neqveam vestris me sistere tædis
Corpore, causa gravis jussit abire domo.
Mente tamen votoq; pio delector adesse,
Ut paucis nostram tester amicitiam.
Hinc precor, ut vestro benedicat fautor & autor
Conjugii thalamo, prospera qvæq; ferens.
Det tibi, detq; tuæ, det vestris ille benignè
Omne bonum, contra sit procul omne malum.

Inter varias occupationes fund.
amicâ manu & mente

D. JOACHIMUS FABRICIUS, SS.Th. & Ebr. Ling. Profess. Ecclesiastes & Consistorialis.

ESt pater Orborum DEUS, est immensus IÖVAH
Non derelinqvens orphanam.
Condignam Patrûm sobolem, sunt omnia Justo
Stipata Dio ex ordine,
Non absoluto, precibus pietate colentes
Numen, pia fata sentiunt;

Sic Orbam Viduus ducit, sic nubit & Orbo
Orba ea suo Thalassio.
Orbos hos olim serva DEUS optime qvos jam
Junxit tua Providentia,
Qværula ne Vidui Viduæ Vox amplius obstet
Hæc audias Rex Cælitum.

Ex summo ac amicissimo adfectu l. f.

JOAN. Sithman / *U.J.D.*
& Profess. Reg.

CUm Joachime tibi Kielmannia ducitur uxor:
Qværo ego num jure id nomen habere qveat?
Si mihi, si qvicqvā constat, Kielmannus eris tu:
Est etiam tempus qvando ea talis erit.
Hoc voveo interea, cum tu, cum talis & ipsa
Fors fuerit, vobis ut bene cedat opus.

scrib.

GEORGIUS KIRSTENIUS D. & P.

FAta eqvidem Te Sponse gravi pressere dolore
Consortem Thalami dum rapuere tibi!
Ast nova deripiunt veterem tibi Sponse dolorem
Gaudia, qvæ præbet nunc Neonupta tibi.
Sic nos Fata regunt: nobis Phœbea resurgit
Jam Lampas, jam nos nubila nigra tegunt.
Hæc igitur Veneri peragis qvæ sacra secundo,
Usq; sient animô, Sponse, secunda precor.

gratulabundus scribebat ad Amicissimum

PETRUS Göge / Med. D.

HEu mentis sortisq; vices! clamavimus alto
Gutture Stentoreisq; modis: Helicona parate:
Pandite, vester adest, montem: disponite chordas;
Dextra, Polymnia, sit tua tibia; buccina Cliûs:
Astra movebimus, ore citabimus optima KUTZÎO.
Ut ventum ad montem, non est ibi Diva vel Augur
Cynthius; at taxi residet Libitina sub umbra,
Cujus in horrorem frondes nigrantur opacum,
Et circùm tetricæ qviritantur grandia Mortes.
Castalii nusqvam latices, Phœbeïa nusqvam
Flumina; sed pigrâ Cocytus volvitur undâ
Inq; eadem refluit vada Lethe. Luctifer illic
Bubo gemit: strepit infaustum Strix degener omen.
Ossa trahit segnisq; Sopor, rictuq; patente
Mœsta Fames, serusq; Pudor velatus amictu
Et Metus atq; Pavor, frendensq; immania Luctus.
Ut vidi, ut stupui! Ternûm sed prima Sororum
Objicit egelidam SOCRUM, atq; hâc forcipe, dicit,
Messui & ê summâ truncavi fronte capillum.
Ergone sic pietas meruit nihil? ergo sub umbras
Sic temere pergunt, regero, nil conscia fraudum
Pectora? & innocua pullus gener ibit ab urna?
Qvid facerem? num læta potes me poscere? SPONSE,
Aut tua nunc nostri condirent prandia lusus?
Non mage qvam fracta cantet Palinurus ab alno:
Vix unum hoc dabitis, lachrymæ: *Meliora tenete!*

HENRICUS SCHÆVIUS, D.

AD liqvidas Viadræ nuper concesserat undas
Alma Venus corpus forte lavare suum.
Ecce venit subito lugubris qvestus ad aures
Illius, ut primum territa & ipsa staret,

Progrediens planctus autorem vidit, & inde,
Addubitans infit: Fallor an his oculis
Illum conspicio, svavi qvi littora cantu
Nostra movere solet, qvem toties Viadrus
Miratus, Nymphæq; cui nexere corollas?
Haud erras, regerit: Tunc Dea, qvos igitur
Hic edis planctus, qvænam hæc inversio scenæ?
Plusne juvat gemitus, qvam dare dulce melos?
Plusne placet taxo, qvam frontem obnubere lauro?
Sic voluit mea sors, inqvit is, ut vidui
Fata tori plorem gemebundi turturis instar;
Haud secus atq; Orpheus carmine luctisono
Dulces Eurydices raptos sibi planxit amores.
Elicuit dictis & Veneri & lacrymas,
Nec mora præcipiti pede tendit ad ardua Pindi
Juga, novemq; Deas hoc animo aggreditur:
Siccine cultores vestros sine fine jubetis
Plangere, mœrori ponitis anne modum?
CUZIUS hic vester dudum sibi luget ademptam
Uxorem; socii cur nova pacta tori
Non reparatis ei? myrto mutabo cupressum,
Si placet, invisam; lucida tæda rogi
Difflabit cineres, tumulum thalamusq; recondet.
Kielmannum nostis: Non etenim tacitum
Rellinqvent pietas, virtus & cura Lycei,
Illius & Gnatam nostis, eam stabili

Conju-

Conjugio jungam viduo, propriamq; dicabo;
Sic horum Virtus, & genus, & pietas
Svadent. Consilium placuit, jussere sorores
Tertrinæ Venerem, qvo acceleraret opus.
Hem dictum factum! jam jungit fœdere dextras,
Ridet Amor, gaudet frater Amoris Hymen,
Tripudiant Charites, meditatur Apollo melisma,
Et reliqvæ Divæ talia vota ferunt:
Intaminatus amor nostro qvæ vincula nexit
Auspicio, neq; mors, neve dies dirimant.

gratulab. scrib.
M. DANIEL Schultz / *Ill. Pædag. Prof. & Music.*

QVid cessas, Frater, socialem ducere vitam?
Cum vetita haud unqvam nupta secunda tibi.
Defunctâ Sarâ, Keturam duxit Abrâmûs:
Hoc fecit David, Rex pius atq; potens.
Perge igitur felix, cœptis his ipse secundet,
Qvi sine principio, qvi sine fine, Deus.

Honoris & amoris ergò hæc paucula currenti calamô adjecit Sponsi frater
ANTONIUS KÜETZIUS, Magdeburgensis, Pastor Lobicensis.

CEu compare orbatum videmus turturem
Charâ ingemiscere, atq; nota in arbore
Solum sedentem flebili mœstum tono

Ciere

Ciere carmen, comparem qvo defleat,
Nec turbidam nisi prius potare aqvam;
Te conqverentem vidimus KUEZI *haut secus,*
Relata cum Proserpinæ in censum Tua
Conjux fuit, sexus sui fax splendida,
Tum non placebat Aonis juga visere,
Nec sumere allubebat ore tum cibos,
Insomnis atq; cuncta nox erat Tibi,
Moriensq; tristem oriensq; Te vidit dies,
Non passa tale, qvæ Regina dicitur
Cnidi Paphiq;, mox suum gnatum jubet
Tuo admovere pectori novas faces,
Is paret, extemplòq; Tu sentis novas
Sub corde flammas {atq; pressa / & profunda} *vulnera*
Terrere possent qvæ vel ipsum Apollinem
Podaliriumq; dexterum & Machaona.
KIELMANNIANA *sola, qvæ medicam manum*
Adhiberet ægro, inventa sola ê tot fuit,
Hæc reliqvum, bene qvod siet, *tecum exiget*
Ævum, Machaon hæc erit, certa & salus,
Hanc ducito nunc ad tuos, Kuezi lares,
Toriq; mille fertilis cape gaudia,

gratulabundus Dno. affini secundò Sponso,
cum voto felicissimi in Domino matrimonii, accinuit

ELIAS FABRICIUS, Marchiacus.

Ad

AD SPONSAM.

QVam ſpectant Nymphæ, metam nanciſcere, Sponſa,
Terminus eſt Sponſus, telaq; caſtus amor.
Hunc ſic iciſti formâ vultuq; pudico,
Ut qvantus qvantus, totus amore flagret.
Saucius inde mali depoſcit, Sponſa, medelam,
Uſurus Medicâ Te, qvia tela jacis.
Ut Tibi ſit Sponſus dignum victrice brabeon:
Tu ſic ægroto dulce levamen eris.
Eſt ita par: debet conjungi ſexus uterq;,
Cum ſit præſtanti fœmina nata viro.
Cœlebs vita nihil jucundi continet in ſe:
Nam vivunt ſoli ſollicitiqve nimis.
Id metuunt valde, ne, qveîs ſocientur, amantes
Deſint, ac furtim mellea labra premunt.
Hinc Te felicem! nupſiſti Sponſa marito,
Ejus ſolius baſia grata cupis.
Vos combinet amor, nunqvam pia vincula rumpat
Adverſum: dentur pignora grata tori.

Gratulabuudus ſcr.
JOHANNES RABEL.

LUdit alternis vicibus ſub axe
Conditum qvicqvid voluit ſupremi
Numinis Virtus, varioq; gyro
Cuncta feruntur.

 Nec

Nec ferus vultum Notus usq; tetris
Obtegit nimbis, neq; sæva semper
Facta cyclopum manibus rotari
fulmina cernas.

Cynthius rursum radiis & auro
Clarus horrendas sonitu feroci
Nubium, & cœli pluvia ruentis
temperat iras.

Totus hic mundus variis subinde
Motibus gaudet, vice nec sub una
Constat, hoc vasto qvod ab undiqvaq;
Clauditur orbe.

Ambigis? testis nitor hic Sororum,
Qvæ colunt Pindi sacra templa, sponsus
Hic erit testis, sub utraq; & ipse
Sorte volutus.

Huic prius charam truculenta falce
Sustulit sæva sociam jugalis
Mors tori, vero duo amore vincta
pectora solvens.

Rursus huic tristes thalami ruinas
Numen adductâ lateri vicissim
Integrat sponsâ, viduumq; pellunt
gaudia luctum.

Grator

Grator hæc Sponſo nova corde totô
Gaudia, & ſi qvid pia vota posſunt,
Hoc pium fundo penitus calenti
pectore votum.
Vivito felix Pylios per annos
Sponſe cum Sponſa, Pylios per annos
Sponſa cum ſponſo (rata vota conſtent!)
Vivito felix.

G. H.

AUrea nunc pax eſt, nunc lætaq; lautaq; res eſt,
Anni nunc rident omnia, cuncta vigent.
Splendida nunc ſors eſt, facilè connubia inire,
Et *ſociam ſponſus* qværere poſſe probat.
Huîc fata uxorem vivâ Virtute decoram
E molli ſubitò ſurripuêre toro;
Aſt *hanc Trinunus ſociam* compenſat ademptam,
KUETZIO in amplexus dum nova Sponſa datur.
Qvæ tua ſors hæc? eſt mirabilis! Anna qvòd Annæ
Succedit thalamo, Sponſe colende, tuo.
Vita ſit & maneat vobis longæva, nec ullum
Lædat conjugii tempora veſtra malum.
Fœdera conjugii non ſunt ſine {pace / prole} beata,
Sit felix veſter non ſine {pace / prole} torus.
Annula poſterior referat *Tibi*, *Sponſe*, priorem
Moribus, ingenio, dexteritate, fide:
Utq; fruare diu ſocia præſente, Jehovah,
Annula ne veniat *tertia*, faxit, ave!

RÜTGERUS KIELMANNUS, SS. Th. Stud.

ARcta novercantis Junonis bracchia piscis
Dum curvat, pandit Flora vireta rosæ.
Sic sua cum noster contrectant KÜEZIUS ulnas
Ac Sponsam recipit, cuncta repandit Amor.
Sit votis igitur præsto DEUS: Unicus opto
Vir sit ut ille ANNÆ, vir ut & ANNA viro.

ita ludebat.
ERTMANNUS BARTHOLDUS, Sedinensis.

VOTUM PRO FELICI CONJUGIO.

QVam benè conjugium felix concordia servat,
Et qvam non dubia prosperitate beat!
Qvalis enim, nullis turbantibus aëra ventis,
Mane novo vernus manat in arva liqvor,
Ros ubi anhelantes subtilis stillat in herbas
Atq; auras vario mulcet odore leves,
Talis & Ambrosiam latè concordia fundit,
Qvam sacer æterno Nectare poscit amor.
Vivite concordes semper cum compare SPONSE,
Vos regat unus amor, vos regat una fides.
Una salus utriq; unum & commune periclum.
Una dies vitæ, finis & una necis.
Qvod superest sacro vos Christus Numine servet,
Firmus ut æterno tempore duret amor.
Gratulor ergò bonum vobis Hymenæa, jugali
Et vestro thalamo, prospera cuncta precor.

Hæc paucula cognato suo honoris & amoris ergo apposuit
JOACHIMUS Hammermeister/
Schivelben. Neo Marchiacus.

COonjugium mortali homini gratissima res est,
Qvod rerum Dominus sanxit, idemq; fovet.

Ergo

Ergò qvod ex animo sponsam petis optime Sponse,
Sic qvoq; nunc aptas, hoc tibi dulce jugum,
Ut constans in amore sit noctesq; diesq;
Altera pars cordis, sit qvoq; Sponsa tua.
Rebus in adversis semper sit dulce levamen.
Ne contristentur pectora, Sponse, tua.
Qvod super est opto vobis felicia cuncta.
Eveniant, opto vos super esse diu,
Absit ἔρις, latò demit qvæ gaudia lecto
Gaudia mille vehens dulcis & adsit ἔρως,
Vivite felices, Cumæos vivite in annos
Exornet vestrum læta propago thorum.

Honoris ergò αὐτοσχεδίωσε
Michael Copius, Schifelbenensis Neo-March.

Prov. 19, 14.
DIVItIas Largas Patres MatresqVe reLInqVVnt,
VXores præbet frVgIs IoVa pIæ.

*** *** ***

JOACHIMUS CUETSIUS,
Anagramma (T in S mutatâ)
AH! I OCIUS: ES MUSICUS.

SPONSUS.

AH! Qvare adhuc fratris doles
Funus, rogumq; flebilem?
Sis mente lætâ, *Corculum*,
Novisq; luctum gaudiis
Vincas, mihiq; conjugis
Charæ loco posthàc fies.
En! est tibi patens Torus,
Qvi, proh, dolor! turbatus est
Mortis Tyrannide efferâ.
I, *Sponsa*, in hunc thalamum OCIUS,
Et cuncta in isto possíde,
Tu nunc reges meam Domum,
Vivesq; mecum: Tu mihi
Eris voluptas unica,
Animæq; dimidium meæ.

SPONSA.

QVàm læta, *Sponse*, prædicas,
Qvantoq; mulcet gaudio
Pectus meum Clio tua,
Blandam hanc loqvelam proferens!!
Mutatur, ecce, mens mea,
Promtè tuam vocem seqvar:
Lugere posthac desinam,
Partoq; gaudio fruar:
Es namq;, novi, MUSICUS:
Qvi voce me solabitur
Svavi, modisq; dulcibus.

AUTOR.

Cantetis, euge! ambo: chorum
Jehova dirigat, precor,
Ut Vita Voxq; consonent
Diu, atq; Nestoreos dies.

 ÆQVORA

ÆQVORA sulcabat celeri *Venus* alma carinâ
    Qvi comes ardenti cum face *Gnatus* erat.
Ad Viadri tandem venerunt ostia lata,
    Qvò cœpit cursus sistere *Diva* suos
Jamq; suum *Veneri* Stetinum pandere portum
    Tentat, & alliciunt mœnia clara *Deam*.
Qvæ simul ac sacram religavit littore pinum,
    Præclarâ sanctum ponit in urbe pedem.
Aliger hanc seqvitur *Puer*, atq; imponere flexo
    Tela parat nervo, cui *Dea* mater ait:
Tempus adest, Nate, ut tingas tua tela veneno
    Casto, namq; Viro danda Puella pio est.
CUETSIUS uxoris, qvam Mors fera sustulit ipsi,
    Ob funus jam nunc lumina sicca refert,
Et rursus tædas hâc ambit in urbe jugales,
    Impatiens vidui tædia ferre tori.
Cur non jam dudum sensit tua spicula? Cur non
    Tela prius mœstum cor petiêre tua.
Urbs hæc dilectas nutrit lectasq; Puellas,
    Qveis ex KIELMANNI FILIA digna viro est.
Qvæ virgo eximia est specie, pietateq; clara,
    Qvamq; pudicitiâ vincere nulla potest.
Dixerat: At celeri volitat per inane volatu
    Virgineumq; *Deus* labitur in Thalamum,
Lectaq; fulgenti depromit tela Pharetrâ,
    Figit & in castum spicula lenta jecur.
Et rursus vibrans velocibus aëra pennis,
    Ad Sponsum motis venit *Amor* facibus,
Atq; ait: O nostras toties experte sagittas,
    Hoc jam supremum non grave vulnus habe.

Suo qvondam publico & 6 annos privato ductori & doctori
φιλίας, θεραπείας καὶ εὐχαριστίας ἕνεκα scripsit
PETRUS Brand/ Sed. Pom.

Mira-

Mirabar Küetzi, qvare tibi jungier Annam
Velles, jam, causæ qvid siet, ecce, scio.
Scilicet ut tu perpetuò memor esse potis sis
Defunctæ, qvoniam Nomen habebat idem.
Qvin etiam multùm te delectare videtur
Gratia, qvam Vox hæc significare solet.
Tum redit in sese, mirum! invariabile Nomen
Hoc, ut Qvadratum non malè constituat.
Ejus ut inde qveas immotam discere mentem,
Qvæ nullis didicit cedere firma malis.
Qvæ gestit redamare sui constanter amantem,
Qvæ stabiles ignes corde fovere cupit.
Vivite longævi, Pax & concordia crescat
Vos inter, repleat prole Jehova domum.

Hæc paucula in honorem Dni. sui Præceptoris
& materteræ p. m. olim mariti apposuit

Ludovicus Dichmar / Sed. Pom.

Splendorem Phœbus communicat ipse Sorori
Phœbæ: dat stellis lumen uterq; suum.
Tu nobis gnatis, ceu stellis, hactenus unus,
O Venerande Parens, Solis adinstar eras:
Qvando per totum à nobis Luna abfuit annum.
Sed nova Luna redit, dum nova mater adest.
Qvapropter gaude, dilecta Sororcula, lumen
Sol, mihi crede, Parens & nova Luna dabunt.

Hæc chariss. suo Parenti f.
Ludovicus Kuetzius.

Ergo

ERgo diem, Collega, Tuo, Venerande, dolori
    Qvæ metam viduo poneret, astra ferunt?
Et placitum tristi discrimina figere luctu,
    Qvo tenus hac pressit sors peracerba torum?
Jamq; iterum in thalamos intrat nova nupta jugales
    Svaviter & vacuum complet abunde locum?
Sponsa, cui vultum Cytheræa, modestia mores
    Candida, cor pietas finxit amorq; Dei.
Virgineas inter micat hæc splendore catervas
    Ut solet auricomo tincta colore rosa.
Adde qvod egregio prognata est stemmate, & illinc
    Huic Pater, hinc frater fulgidus extat honor.
Naviget extremos mercator avarus ad Indos
    Comparet ut gemmas, qvas legit Indus aqvis:
Viscera vel terræ matri, descendat in ima
    Eruat ut cupidâ fulva metalla manu.
Omnia sunt vana hæc. Fortuna benignior ultro
    Exhibet, his multo qvæ potiora, Tibi.
Scilicet hæc thalami consors pretiosior omni
    Gemma est, divitiis nobiliorq; Tagi.
Hæc tibi solicito & curarum pondere presso
    Svave sub adversa sorte levamen erit.
Tantis macte bonis! Hæc cuncti nempe potentis
    Clara pudicitiæ lux tibi venit ope.
Numen idem vestris qvævis felicia tædis
    Donet in æternos non peritura dies.
Læta lares foveat concordia, prole beetur
    Rite torus, jubeat sint rata vota Deus,

Ita rediens ex urbe patria, ideoq; serius qvidem vero tamen affectu Collegæ suo gratulabatur

MICHAEL SCHNELLIUS S.S.S Baccalaur. in Colleg. Jageteuf. Resumtor.

F I N I S.

